

§. 22. Et hanc quoque sententiam circa quæstionem propositam fuisse b. Dn. D. Bebelii, ex Collegiis ejusdem nobis constat, b. Gerhardus l.c. qui & eandem amplectitur, allegat quoque b. D. Rungium, Osiandrum, Harbartum, additque; ita statuunt plerique omnes ex nostris: de b. D. Calovio dictum supra est: addemus b. D. Weinemann. instit. Theol. p. 573. cujus hæc sunt: *Non tamen peccata piorum ac salvandorum publicatum iri admittimus; sicut peccata impiorum ac damnandorum publicabuntur, sunt enim illa tecta, deleta & purgata sanguine Jesu Christi Ps. 32, 1. Rom. 4, 7. Es. 43, 25. 1. Joh. 1, 7. ideo DEUS eorum non amplius vult recordari, Es. ibid. Jerem. 31, 34. Ezech. 18, 21. projecit omnia post tergum suum Esai. 38, 17. imo in profundum maris, Mich. 7, 19.*

§. 23. Solent quidem huic sententiæ obverti nonnulla, qualia leguntur apud Vossium in thes. theol. Disput. 14. th. 4. citat. in Hodof. b. Dannhavveri p. 814. & apud B. Gerhardum Tom. 9. §. 65. p. 151. sq. sed quæ ex iis, quæ b. Gerhardus habet, quæque hæctenus dicta sunt, forte poterunt solvi: quæ vero hic adducere, aut prolixa disputatione excutere, nec angustia chartæ permittit, nec animus fert prolixâ tractatione persequi, præsertim hoc loco, ubi potius de thesi roborandâ & explicandâ solliciti sumus, quam de refutandis argumentis aliorum.

§. 24. Unum hoc addendum videtur, quod, uti §. 2. dictum, hanc quæstionem hoc modo decisam non lædere fundamentum aut unitatem fidei, ita quoque hanc nostram sententiam in praxi nec pietati obesse, nec sufflaminare studium bonorum operum, sed